



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Variarvm Lectionvm Libri Dvo Theodori Canteri  
Vltraiectini**

**Canter, Dirk**

**Antverpiæ, M. D. LXXIII.**

Confirmatum auctoritate Græci & Latini scriptoris, quod Cicero ex  
Chrysippo refert de Chiorum lapicidinis. Cap. 15.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70886)

Confirmatum auctoritate Græci & Latini scriptoris, quod Cicero ex Chryssippo refert de Chiorum lapicidinis.

## CAP. XV.

MIRVM est quod refert ex Chryssippo Cicero, in lib. 1. Diuinationum, de Chiorum lapicidinis, cum sic inquit: Furebat Carnades in Chirũ lapicidinis saxo diffisso caput extitisse Panisci. Credo aliquam non dissimilem figuram, sed ceriè non talem, ut eam factam à Scopa diceret. Hæc ille, nec mirum solum, imò etiam incredibile propemodum videretur, nisi simile ac planè idem etiam de Pariorum lapicidinis, ab aliis auctoribus, narraretur. Sed quia ea testimonia non ubique sunt obuia, ego que multa lectione obseruavi, hic subiiciam. Fuit itaque huius miraculi mentionem Origenes, in libro qui Philosophoumena inscribitur, cum inquit: Xenophanes Colophonius Orthomeni filius, omnium rerum incomprehensibilitatem esse dixit, & Solem ex paruis igniculis coaluisse, & quotidie fieri, & terram esse infinitam, & neque ab aere, neq. à celo contineri, infinitosq. Soles & Lunas ex terra fieri. Salsuginem quoque maris fieri ex mixtione terre existimauit, idq. ea ratione colligebat, quòd in medio terre & in montibus concharum testa inueniantur, & in lapicidinis, qua sunt prope Syracusas, inuenta essent aliquando piscium & phocarum figura. In Paro quoque insula lauri imago in pro-



fundissima marmoris vena. Huius rei meminit & Plinius in Naturali sua historia, cum inquit: Mirabile illud in Pariorum lapicidinis proditum est, gleba lapidis vnus cuneis diuidentium soluta, imaginem intus Sileni extitisse.

Plutarchi dictionis origo, duobus in locis indicata.

CAP. XVI.

PLUTARCHI scripta pro dignitate ac merito suo nemo satis laudare atque extollere possit, ita omnem scientiam atque eruditionem suis ille libris complexus est, adeo ut si quis eius scripta diligenti lectione eucluerit, non dubitet fore exitum, quin omnia ei sint adfutura, quae in homine praecipue politico requiri possunt. Nam ex ipsius Plutarchi lectione facile videre est, illum omnium Philosophorum, Historicorum, Medicorum, & Poetarum scripta diligenter legisse ac examinasse. Et licet saepissime eorum nomina in medium non adducat, tamen diligentius singula perpendenti, facile est agnoscere, discere (ut inquit ille) membra poetarum, nec poetarum solum, sed etiam philosophorum & aliorum historicorum. Quod nos iam duobus exemplis in medium prolatis, probare conabimur. Itaque in libro De D. Dupias, volens declarare atque describere, quantopere nimia cibi & potus ingurgitatio animum laedat, hac utitur sententia

Ant. M. u.  
Varia Lect.  
LIII  
28